

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Erasmo.

Tuæ virtutis rationem & cogitationem, à summo Pontif. susceptam, Erasme doctiss. ut debeo, gratulor, laetorque. Qui tandem quid conservare sit Ecclesiam, quanta vis in ea sit temporum, quanta varietas, quam incerti exitus, agnoscit, nec aliæ columnæ in banc ædificationem validiores nec aptiores, quam quæ & longis annis & magno labore atque varia arte sunt expositæ, habentur. Magis tamen gratuler, quod nihil præter opinionem nostram accidit. Solliciti enim hic tuis studiosiss. admonendo, arripiendo, (ut magnitudinem & vim amoris tuorum adgnosceres) fuimus omnes, sit igitur sempiternæ tibi laudi & quem tibi Deus dignitatis amplificatorem dedit, eum tibi ad majora diu ac feliciter conservare dignetur. Mihi ad te paulo ante varia de Africana illa Cæsaris gloriosissima victoria, accipe nunc Tunij situm & obsidionem in figuram redactam. Vale nostri non immemor. Romæ, 17. Cal. Septembr. 1535.

Tua celsit. addidisti.

Anselmus.

XLIII.

Desiderio Erasmo Roterodamo. Basileæ.

S. P.

Dolentem tuam lachrymis delevi schædam, ne satis credere posses, quam ægrè omnes tui ferant amici illud malum extremæ spinæ, quod ad vetus accessit. Sed quoniam Christus expiationem languoribus & cruciatibus præsentis seculi delictorum tuorum exigit, qui nihil temerè facit, bene consulendum est, præsertim tibi, cui ipse DEUS tantum eximæ doctrinæ dignatus est impertiri. Bembus & Bonamicus te salutant, atque excusatum habent, id faciet Celius, modo de tua valetudine sciat, agit is Ferrariæ, ut scis. Ecclesiastes apud nos est tuus, & ut ad te superioribus scripsi literis, non sine magno honore. Ea quæ in Cursum scripsisti, vidi simul cum Lazaro Bonamico, qui quanquam rebus hujusmodi non delectetur, tamen illud magnopere laudavit atque cum voluptate legit.

Valeat Gilbertus cum suo canonicatu, si te reliquit nolente, scio eum tibi fuisse usui. Adolefcens, quem tibi commendavi, factus est Canonicus Moguncinus, illic
reli-

residet. Quod ædes vendidisti Friburgi atque suppellectilem distraxisti non infelicitè, planè gaudeo, solet id passim secus accidere. Habeo tibi gratiam pro Thomæ Mori mortis explanatione, fuit donum nobis gratissimum, amici tui, quos hic habes plurimos & eruditos, quorum consuetudine familiariter uror, mirantur, quod mortem tam cari & intimi amici scriptis non celebres tuis. Nonnulli dicunt, mentionem, quam in prologo Ecclesiasticis de eo atque Rofensi facis, dignam non esse tantis viris, quod prolixius debebas, ajunt, in materiam tam dignam procedere, tu scis, quid sis facturus, ego tanquam amicus moneo. Ita corripior amore tuo, ut in omnibus integrum atque immaculatum cupiam officium tuum manere, quapropter sæpius revolui atque in animo singulis diebus revoluo, si DEUS mihi tantum vitæ concederet, ut post obitum tuum omnia opera simul meo sumptu imprimantur tua, ad quod opus rectius conficiendum duco multum esse in re tua, si illum laborem accipere velles, ut mihi ordinatim catalogum tuorum describeres librorum, tam prophanorum, quam ecclesiasticorum, deinde si aliquot libri sunt, quos suppressos cupis, aut seorsim imprimendos, possis etiam hoc significare. Et quoniam nullus est, qui gloriæ non sit cupidus, ardeo etiam incredibili desiderio, ut vitæ à me describatur tua, quod facere non possum, nisi adjutus ab aliquo viro docto doctissimoque, quippe volo eam eo stilo describere, ut in posterum non tantum ipsa vitæ sit commendanda tua, verum etiam ipsum filum exordiumque orationis, quod quidem tibi dedecori non esse duco, quam narrationem ejus vitæ tuæ, principio tuorum scriptorum affigam. Et quoniam mihi superstes es, hoc cum gratia cuperem impetrare, ut ejus rationem à principio mihi velles instar commentariorum tradere: aut si mavis eam absolutè & compendiosè, tu ipse scribere & eam mihi ita tradere, multo commendatior erit posteritati, quod si facis de tuo labore, non ero tibi ingratus, & si id mihi concedere velis & credes, prope præsentem mecum de hac re posse te melius conferre, ipse ad te in mense Majo vel Junio veniam, vel citius, si visum fuerit. Et non verearis ad me apertè scribere, timens, posse me in ipso itinere facere sumtus, qui majores non erunt, quam ii, quos hic quotidie facio, nec tales, & si excederent mihi propter meum suavissimum Erasmus, in cujus gratiam nihil non sum facturus, erunt gratissimi. Postremo hoc exoratum volo, ut de hac re nemo intelligat, quippe si res in effectum venerit, nolo rationem nostri consilii cuiquam revelatam esse. Memini Gilbertum, mihi ostendisse cartam membranam, in qua Helvetia diligenter erat manu designata, quam ajebat esse tuam. Ego etsi impudenter faciam, tamen quoniam scio, tibi non esse usui, cuperem, ut eam mihi concederes, atque per Bebelum mitteres, quod si facis, id accedet ad cumulum tuorum in me officiorum. Aut si iidem de causis, quas superius dixi, ad te velles me venire, possis eam in adventum mei servare & præsens præsentem tradere, quam si aliquis erit istic, qui depingere hujusmodi res sciat, curabo interpretandum, ut te non defraudem.

Q 99 99

Vale

Vale & quam cito poteris, rescribe. Iterum vale, Præceptor amantissime. Paravio postridie Conversionis Pauli, Ao. 1536.

Tuus ex animo,

Damianus. A. Goes.

XLIV.

Clarissimo Viro, D. D. Nicolao Gerbelio, JC. Domino

suo tanquam Patri honorando. Argentorati.

S. D. P.

Quum hic juvenis nostras ad vos iter & paulò post reditum ad nos instruisset, colendissime Gerbeli, nolui eum sine epistolio, quo te salutarem, discedere. Sollicitus semper sum de valetudine tua & sæpe illam tibi prosperam opto. Fazit DEUS Opt. Max. ut nobis ac optimis literis & pietati imprimis semper utilis & saltem *regrediuntur* aliorum ad extremam incolumis senectam pervenias. Tomus primus historia animalium nostræ intra paucos menses absolvetur, & jamdudum absolutus esset, si ego præsum continua scriptione assequi potuissem. Quod si tibi vacaret, posses tu quoque aliquid in hoc argumentum præstare, sin minus, ut per amicum aliquem quod desidero, mihi efficias, per amicitiam nostram te rogo. Audio Monocerotis cornu servari inter Ecclesiæ vestræ Episcopalis thesauros. Hoc mihi describi, quantum & quale sit, curiosa & exquisita descriptione, si fieri potest, vehementer cupio & quando & quomodo illuc pervenerit? Qualis sit ejus substantia, laxa, mollis, dura, solida, &c. quod pondus, sitne aliquis odor & sapor, qui color intrus forisque, quæ figura? cavumne an solidum? Desidero etiam imaginem, quam adductis alius pictor carbone in exigua charta delineet. Non dubito, quin impetrare hoc possis, si modo coneris. Id si feceris in meam gratiam, non credis, quanta me sis latitia perfusus. Nondum enim exulta est in opere meo historia Monocerotis, in qua multa difficilia & obscura reperio. Percipio quidem te commemorare in Catalogo eruditorum hominum, per quos profeci, in fronte operis præfigendo. Vale in Domino. Tiguri, 1551. Februarii die 17.

D. Dasypodium & D. Dryandrum Hispanum & D. Herlinum officiosè ex me salutabis.

tuus ex animo solus

Con. Gesnerus.

XLV.